



כשש
Ab! Jova juva.

ARGUMENTUM.

ISraelitæ קשר עורה עם: cur: adorant vitulum conflatum ab Aarone; quem Moncæjus excusat; & populum a culpa liberant Rabbinorum multi; quibus autem reliqui resistunt. Et quidem recte.

Appellat omni sane merito Jacobi posteros, quos sibi in peculium elegerat asciveratque sanctissimum præpotensque Numen, populum קשר עורה, duræ cervicis; qui instar equi feri & indomiti, ferendoque jugo nondum assuefacti summopere ferociebat, (a) nec a cursu suo se abduci permittebat. Noverat, religionem & cultum Diis falsis hominumque fictis manibus idolis præstitum, aut unquam exhibendum, indicta gravissima poena sibi esse prohibitum; & quantus foret zelus DEI irascentis atque punientis, intelligebat, cum legem promulgari in montis apice Sinaitici, multis continuo fulguribus coruscationibusque atque telis mortem minitantibus, extra se ingenti metu rapti cernebant, totamque plagam subsilire quasi ac moveri persentiscerent: noverat, Pharaonem Regem, (b) cum suis subditis

A cum

(a) *Conf. Oleastr. & Malvendæ Not. apud Pol. in Synops. Criticor. in v. 3. c. XXXIII. Exod. R. Aben-Esra explanationem in Electis Targumico Rabbin Christophori Carthwrighti in Exod. vid. & ad R. Salom. Ben Melech in Exod. p. כר.*

(b) *quis ille fuerit, Orusne, an Cenbris, aut alius quispiam, non satis liquet in tanta rerû Egyptiacarum paucitate & obscuritate: placeat ergo omnium optime Riveti modestia, qui potius abstinet, quam*